


inter principia, huic numero plenitudinē deputauit. Nunc oportet ex impari
 quocumque numero, quemadmodum id efficiat, inspicere. Et quia tam parisi quam impari nu-
 meri monas origo est, ternarius numerus prima linea esse credat. Hic triplica-
 tus nouenarius numerus facit, quod & ipse quasi de duabus lineis, longum latumque cor-
 pus efficit, sicut quaternarius secundum de paribus efficit. Item nouenarius triplicatus
 tertia dimensionem prestat, & ita a parte impari numeri in uigintiseptem, qui sunt
 ter terna ter, solidum corpus efficit, sicut in numero pari bis bina bis, quod est octo-
 narius, soliditatem creauit. Ergo ad efficiendum utrobique solidum corpus, monas
 necessaria est, & sex alij numeri. id est terni a pari & impari. A pari quidem, duo, qua-
 tuor, octo: ab impari autem, tria, nouem, uigintiseptem. Timaeus igitur Platonis
 in fabricanda mundi anima, consilium diuinitatis enuntiatis, ait illam per hos numeros fu-
 isse contextam, quod & a pari & impari cubum. id est perfectionem soliditatis efficiunt: non quia
 aliquid significaret illam habere corporeum, sed ut posset uniuersitatem animando
 penetrare, & mundi solidum corpus implere, per numeros soliditatis effecta est.
 Nunc ad ipsa Platonis uerba ueniamus. Nam cum de deo animam mundi fabrican-
 te loqueretur, ait: Primam ex omni firmamento partem tulit. Hinc sumpsit duplam
 partem prioris. Tertiam uero secundae hemioliam, sed primae triplam. Et quartam, duplam
 secundae. Quintam, tertiae triplam. Sextam, primae octuplam. Et septimam, uicies se-
 pties a prima multiplicatam. Post haec spatia, quae inter duplos & triplos numeros
 habebant, insertis partibus adimplebat: ut binae medietates singula spatia colliga-
 rent: ex quibus uinculis hemiolij & epitriti & epogdoi nascebantur. Haec Plato-
 nis uerba ita a nonnullis excepta sunt, ut primam partem monadem crederent:

Aie mundi fa-
 bricatio secundum
 Platonem.
 Al. fermento.



Al. augmentum.

secundam quam dixi duplam prioris, dualem nu-
 merum esse considerent: tertia, ternarium numerum:
 quod ad duo hemiolius est, ad unum triplus: & qua-
 rtam, quatuor: qui ad secundam, id est ad duo duplus
 est: quintam, nouenarium: quod ad tertium. id est ad tria tri-
 plus est: sextam autem, octonarium, quod primum octi-
 es continet. At uero pars septima, in uiginti &
 septem fuit, quae faciunt (ut diximus) argumentum
 tertium impari numeri. Alternis enim (ut anim-
 aduertere facile est) processit illa contextio: ut
 post monadem, quae & par & impar est, primus
 par numerus poneretur, id est duo. Deinde se-
 queretur primus impar, id est tria: quarto lo-
 co secundus par, id est quatuor: quinto loco secundus
 impar, id est nouem: sexto loco tertius par, id est octo: septimo loco tertius im-
 par, id est uigintiseptem. Ut quia impar numerus mas habetur, & par femina,
 ex pari & impari, id est ex mari & femina, nasceretur, quae erat uniuersa pari-
 tura: & ad utriusque soliditatem usque procederet, quasi solidum omne penetratu-
 ra. Deinde ex his numeris fuerat componenda, qui soli continent iugabilem com-
 petentiam, quia omni mundo ipsa erat iugabilem praestatura concordiam. Nam
 duo ad unum dupla sunt, de duplo autem diapason symphoniam nasci iam dixi-
 mus. Tria uero ad duo hemiolium numerum faciunt: hinc oritur diapente. Quatu-
 or ad